

# The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

## Ornatus e cum fonte primo

Fucare pigmentis quo uel  
rubicundior appareat  
adulterina fallacia est, qua non  
dubito ipsos maritos se nolle  
decipi quibus solum permittende sunt  
femine ornari secundum ueniam, non  
secundum imperium.

Execranda autem est superstitio  
ligaturarum que

non ad placendum hominibus sed ad  
seruiendum demonibus adhibentur.

Augustinus ad Presidium.

illi autem cogitant, quae sunt mundi, quo  
modo placeant uel uiri uxoribus uel  
mulieres maritis, nisi quod capillos  
nudare feminas, quas etiam caput uelare  
apostolus iubet, nec maritatus decet;  
fucari autem pigmentis, quo uel  
rubicundior uel candidior appareat,  
adulterina fallacia est, qua non  
dubito etiam ipsos maritos se nolle  
decipi, quibus solis permittendae sunt  
feminae ornari secundum ueniam non  
secundum imperium. nam uerus ornatus  
maxime Christianorum et Christianarum  
non tantum nullus fucus mendax uerum  
ne auri quidem uestisque pompa sed  
mores boni sunt.

Execranda autem superstitio  
ligaturarum, in quibus etiam in aures  
uirorum in summis ex una parte auriculis  
suspensae deputantur:  
non ad placendum hominibus sed ad  
seruiendum daemonibus adhibentur.

Augustinus Hipponensis, *Epistulae*, 245,  
1-2 (CSEL 57, A. Goldbacher ed., p.582,  
ll.7-20).